



**Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro  
singulis Anni diebus**

Complectens Aprilem, Majum, Junium

**Nepveu, François**

**Monachii, 1709**

Dies 4. De fine hominis. Tota nostra gloria in eo consistit, ut Deo  
serviamus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60514](#)

Aprilis.

Quando poterit anfractuosa voluntas ei  
uniri, quæ rectissima est? Bern. serm. 6.

## DIES IV.

*De Fine Hominis.*

**Tota nostra gloria in eo con-**  
**sistit, ut Deo serviamus.**

## I.

**N**ihil æquè gloriosum est, ac Deum glorificare. Tanto Domino servire, regnare est. Deus verè magnus est; nec magnum quid invenitur extra ipsum, & quod ad ipsum refertur. *Tu solus altissimus.* Quod nobis magnum videtur, magnum non est; nisi per comparationem; totam suam magnitudinem parvitatē nostrā debet; magnum nobis creditur, quia nos pusilli sumus; & semper erimus, si quid magnum, excepto Deo, ejusdēmque gloriā esse crediderimus. *Gloria Christi,* quatenus Homo est, et si res adeò sublimis sit, gloriæ Dei tamen comparata nihil est. *Gloria mea nihil est.* Quid igitur esse potest gloria omnium heroum, quam minus nihil? quid esse potest modicum commodum, quid phantasma alicujus gloriolæ inanis, quod divinæ gloriæ quotidie præhabemus?

## II. Ve-

Psal. 82. 19.

Io. 8. 54.

II. Verum itaque est, orationem quan- Aprilis,  
dam bene factam, contemptum sui luben-  
ti animo acceptatum, sui ipsius victoriam  
loco, ac tempore congruo exercitam, opus  
aliquod bonum, actum virtutis quemcun-  
que, qui ad Deum refertur, & adejus glo-  
riam dirigitur, rem esse majorem, magis-  
que gloriosam, quam summi momenti ne-  
gotiationes, quam administrationes, &  
expugnationes alicujus imperij. Credis-  
ne hoc? ah! si crederes, omitteresne tam  
facile tua pietatis exercitia? perageresne  
ea tanta animi socordia? negligeresne adeo  
temere omnia ea, quae ad gloriam Dei spe-  
stant? Interea fidei articulus est, non mi-  
nus verus, quam verum est, omnia ea,  
quae in mundo maxima, summique glo-  
riosam habentur, coram Deo nihil esse.  
*Quasi non sint, sic sunt coram eo.* Si igitur *Isa. 40. 17.*  
ad gloriam anhelamus, necessarium est,  
ut hic ambitionem nostram exerceamus.

III. Quid dices de viro, qui, cum uni-  
versum Mundi imperium ei administran-  
dum incumberet, insani illius imperatoris  
more velut maximi momenti negotium,  
in se fusciperet muscarum venationem,  
universi interea orbis gubernatione neg-  
lecta; sermo hic est de unico homine, in  
quem tanta cadere potuit insanias. ánnē  
tua

14 *Considerationes Christianæ*


Aprilis.

tua minor est? natus es eum in finem, ut  
incumbas ad illud ipsum negotium, quo  
Deus ab omni æternitate se occupat, ni-  
mirum gloria sua, & salute tua. Nihilo-  
minus ad curas frivolas te abijcis, totum  
te millenis nugis involvis; quæ quantas-  
cunque demum esse phantasia, vel cœci-  
tas tua tibi persuadeat, non tamen nisi  
pueriles nugæ sunt. Potestne hujusce-  
modi agendi ratio sine indignatione, aut  
commiseratione spectari? potestne quis  
hujus insaniæ reum se agnoscere absque  
sui confusione, eamque emendandi propo-  
sito?

*Erubet de ignavo, & abjecto animo tuo,  
quod, cum ad tam sublimia, & ad negotium,  
cuj Deus ipse se impedit, tractandum natus sis,  
ad nugas tam futilis te abijcas.*

Ut cognoscant, quia nomen tibi Domi-  
nus: Tu solus altissimus in omni terra.  
*Psal. 82. v. 19.*

Diu parvus erit, qui aliquid magnum  
reputat, præter unum, æternum, & im-  
mensum bonum. *Imit. Christi. Lib. 3.*



DIES